



ORDINIS MEDICORVM  
IN ACADEMIA VITEBERGENSI

H. T.

PRO - DECANVS

CHRISTIANVS FRIDERICVS  
NVERNBERGERVS

MEDICINAE DOCTOR, ANATOMIAE ET BOTANICES PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS, MVSEI ANATOMICI ET NATVRAE  
CVRIOSORVM INSPECTOR, SOCIETATIS OECONO-  
MICAE LIPSIENSIS SODALIS,

PANEGYRIN MEDICAM

D. VII. MENS. SEPTEMBR. CI<sup>o</sup>IOCCXC.

HABENDAM  
INDICIT

PROLVSIONE

DE

APOPLEXIA CAVSARVM MORBIFICARVM CRI-  
TERIA ILLUSTRANTE ET CONFIRMANTE.





DE  
APOPLEXIA, CAUSARVM MORBIFICA-  
RVM CRITERIA ILLUSTRANTE ET  
CONFIRMANTE.

---

SECTIO II. PARS III.

**A**d varios characteres, quibus causam morbi proximam multum eminere diximus, id quoque referendum esse censuimus, quod prae caeteris causis morbificis maiori ea gaudeat constantia pariter atque simplicitate. Namque licet diuersae morborum species a causarum potissimum remotarum varietate atque multitudine dependant et proficiantur, his singulis tamen genere inter se convenientibus vnam modo eandemque causam proximam competere semper, secundum nostram quidem sententiam maxime videbatur esse probabile. Atque idem quoque exemplo iam bis in medium prolato denuo illustrari, confirmarique potest



potest egregie. Quem enim quaeso fugere potest, Apoplexiam morbum esse adeo polymorphum, vt specierum multitudine Nosologis pariter atque medicantibus multum pariat difficultatis, totidemque habeat origines, quot fere subiecta occupauerit. Hinc morbus attonitus non solum causae modo calidae modo frigidae plerumque tribuebatur, verum etiam inter Apoplexiam sanguineam et serosam pituitosamue probe distinguendum esse, iam olim semper creditum fuit. Et sicuti hanc a sero aut pituita cauernulas cerebri male oprimente et offarciente deriuare solent, ita illa ab ipso rubicundo cruore, siue copia, siue indole alia peccante, maleque extra alueolos suos effusa, tenerinumque viscus hoc vna cum eius membranis male inundante proficisci reputatur. Verum enim vero licet hoc vulgo receptum Apoplexiarum discrimen in praxi medica communi non careat vtilitate sua; caue tamen, ne eo pro fundamento diuisionis vtaris, quod illud neque satis accuratum neque sufficiens, sed potius plus iusto arctius sit, multumque adhuc incertum. Inter omnes namque constat, praeter Apoplexiam sanguineam et serosam plures eius alias dari species, quas neque ad hanc, neque ad illam referre poteris. Signa quoque vtriusque morbi ab Autoribus tradita saepe sunt admodum fallacia et ambigua, quin imo accidere potest, soletque interdum, vt vtraque causa simul confluat, et morbum complicatum proferat. Vel, quem quaeso, nisi rerum medicarum prorsus ignarum latere potest, in Apoplexiis, a causa serosa pituitosae manifesto atque certissime obortis, nihilo secius sanguinem post fata hominum in eorum cerebris copiosissime effusum saepissime reperiri. Nonne etiam a sanguinis inopia et raritate, veraque vasorum exinanitione saepe atque confestim Apoplexiae oboriuntur? nonne quoque vasa cerebri plurimo sanguine turgida, imo in eo quasi

quasi fluctuantia haud ita raro reperta fuisse constat, sine vlllo Apoplexiae signo vnquam praegresso? aut nonne denique causae quaedam dantur, Apoplexias vere proferentes, quarum sicuti obscurus est agendi modus, ita nullum in cerebris eorum vitium detegi potest? Hinc in Apoplexiarum medicationibus non tam anxie curandum esse videtur, vtrum humor rubicundus an serosus, pituitosusue in cerebro proprie effusus hanc vel illam stragem effecerit, quandoquidem hoc nonnisi perraro poterit definiri, contra vero, vt coniecturatione probabiliori super hac re quid assequaris, ad hominum potius aetatem, habitum corporis, temperamentum, vitae genus, sexum, eiusque functiones, aliaque huius tenoris respiciendum est. Atque ex hac ratione perantiquae huius distinctionis iustus quoque honor suus constabit. Quocirca illi melius agunt, qui ad morbi sedem potissimum animaduertentes, inter Apoplexiam idiopathicam et sympathicam distinguunt. Semper enim causa hance sensum motuumque suffocationem subitaneam proferens aut in ipso encephalo, ibidemque locorum haeret, vbi nerui inde exoriuntur, aut in remotis partibus residet, atque sensorium commune tantum per consensum male violenterque afficit. Neque etiam difficile est, quin ad haec duo summa quasi genera omnes reliquas Apoplexiarum species, potentiarum efficientium diuersitate quam maxime discretas, reducere possis. Eo scilicet referas Apoplexiam traumaticam, temulentam, scorbuticam, metastaticam, hystericam, epilepticam, conuulsivam, febrilem, veneream, polyposam, laetam, praecordiale, flatulentam, narcoticam, mephiticam, fulmineam, et plures alias. Quae quamuis non minus sedis discretas, quam potentiarum efficientium quoque diuersitate a se inuicem omnino differant, vnam tamen eandemque causam excitantem proximam, siue quam dicunt continentem



simul omnes agnoscunt. Ex illis vero quae iam nuperrime  
 super hac re a nobis fusius disputata fuere, satis superque pa-  
 tuisse existimamus, hanc nullam certe aliam esse posse, quam  
*subitaneam pariter atque violentam, diuque perstantem,*  
*nec facile sponte reparandam sublationem siue solutionem*  
*illius commercii, quod inter sensorium commune ipsosque*  
*neruos proprie locum habet.* Atque idem valebit, vnde cum-  
 que hoc commercium deducas, et vtrum a spirituum ani-  
 malium influxu per canaliculos corticales ac medullares ce-  
 rebri in neruorum tubulos facto hocce commercium sustineri  
 contendas, an flaminibus neruorum solidis, eorumque vir-  
 tuti oscillatoriae ab electrico fomite excitatae hoc tribuas, an  
 vtrumque symbolam suam eo conferre opineris. Quemadmo-  
 dum vero somnus quoque et ebrietas ab eadem causa proxime  
 efficiuntur: ita proprium est Apoplexiae, quod supra additis  
 quatuor characteribus eadem inde discrepet: Atque in hisce  
 characteribus ille fere eminet, quo nempe fit, vt post Apo-  
 plexiam plerumque membrorum resolutio relinquatur, sen-  
 suum licet integritate aliquantulum restituta, nec quicquam  
 eius post somnum aut ebrietatem superatam obseruetur. In  
 eandem descendit sententiam doctissimus Boerhauii Commen-  
 tator, ita differens: *Causa proxima in omnibus Apoplexiis*  
*est eadem; sed causae efficientes sunt saepe diuersissimae:*  
*vnde nulla poterit esse vniuersalis curandi methodus.* (SWIE-  
 TEN. Comment. T. III. §. 1012. p. 229.) Atque ita fere  
 est. Sicuti scilicet in Apoplexiarum curationibus potissimum  
 de causarum efficientium remotione cogitandum est: ita pro  
 earum diuersitate curandi quoque methodus diuersa esse debet.  
 Interdum enim aut euacuando siue ipsum cruorem siue serosos  
 humores, aut potenter resoluendo, aut reuellendo, aut exci-  
 tando stimulandoque, aut temperando, spasmosue sedando,  
 aut



aut roborando, aut quouis alio modo morbum debellare con-  
 venit. Sed age iam coronidis loco per exemplum quoddam  
 illustrabimus, quam prudenti opus sit cautione in eligendis de-  
 finiendisque hisce curandi modis. In scenam iterum prodeant  
 Apoplexia sanguinea ac serosa. Quamuis nempe illius dia-  
 gnosis saepe sit admodum difficilis, criteria tamen eiusdem  
 e habitu corporis atletico, toroso, ac plethorico, e lauto  
 quoque vitae genere, neque minus e subito suppressis haemor-  
 rhagiis antea consuetis potissimum colligenda sunt. In huius  
 itaque curatione non solum omni data opera elaborandum est,  
 vt salutare fiat sanguinis a cerebro deriuationes ac reuulsio-  
 nes, verum etiam sedulo cauendum, ne forte hoc agendo  
 humores denuo atque vbertim versus hancce partem aduo-  
 centur. Praeter ipsius ideoque sanguinis detractiones siue per  
 venaesectiones, siue per arteriotomias, siue per cucurbitulas,  
 siue per sanguisugas institutas, praeterque enemata emollientia  
 pariter atque paululum stimulantia, nec non pediluuia calida,  
 et fomentationes capitis intense frigidae, et situs corporis ere-  
 ctus, et ferrum candens suris applicandum, vlcere potissimum  
 aliquantisper aperte seruato huic scopo egregie satisfacere vi-  
 dentur. Interim tamen *Clarissimus TISSOTVS (Epistol. med.  
 varii argument. p. 65.)* ab omni acriori stimulo, et sangui-  
 nem vehementer exagitante medicina adeo abhorret in Apo-  
 plexia sanguinea, vt vel ipsa veficantia minus tuta existimet,  
 atque propterea simpliciter rubefacientia, cuiusmodi sunt fina-  
 pismi et vrticationes tanquam vtiliora praedicet. Quamuis  
 Apoplexia altera a priori toto coelo differat, et prae caeteris  
 e temperamento phlegmatico, habitu corporis laxo ac deco-  
 lore cum pallore coniuncto, nullis plethorae notis simul prae-  
 sentibus, neque minus ex excretionibus serosis pituitosisut  
 consuetis aut deficientibus, aut subito extinctis, ex aetate de-  
 nique



nique minus prouecta, et aliis cognoscatur: methodus tamen  
 potenter reuellens in ea quoque locum habet, alio vero modo  
 instituenda. Non solum enim vlcera artificiosa cuiuscunque  
 fere generis siue per vesicantia et cantharides, siue per setacea  
 et fonticulos excitata, eaque omnia egregie conueniunt, quae  
 sudores aut urinam large prouocant, nec quicquam damni ab  
 illorum remediolorum stimulis metuendum esse vulgo existima-  
 tur, verum etiam eodem consilio primae viae per pharmaca sic  
 dicta hydragoga et phlegmagoga crebro sollicitantur. An  
 emeticorum quoque vsus in tali Apoplexia tuto concedendus  
 sit, quaestio vtiq; moueri potest. Si quis ab ingluuie, ma-  
 gnaque fereulorum vi deglutita, aut a venenis deuoratis mor-  
 bo attonito corripitur, tunc nullum est dubium, quin quan-  
 tocius, nec infausto certe omine ad hanc medicinam tanquam  
 ad sacram anchoram confugi debeat. Vtrum vero ad mate-  
 riam tenacem soluendam, stupidumue sensum reuocandum  
 emesin mouere liceat, et annon forte potius periculosiores ad  
 caput congestiones, et humorum in cerebrum profusiones a  
 validis hisce concussibus extimescenda sint, in medicina pra-  
 ctica non indifferentis sane momenti res habenda est. Quid?  
 quod vel ad ipsum forum ea subinde deferatur, et super ea lis  
 moueatur, quod non multum abhinc apud nos factum esse  
 reminiscimur.


Sed pedem hic figimus, id nunc peragentes, quod  
 officii ratio postulat. Indicenda nempe sunt solemnia inau-  
 guralia



VIRI  
PRAESTANTISSIMI ATQVE DOCTISSIMI  
IOHANNIS FRIDERICI SIEGISMVNDI  
POSEWITII

DAHME<sup>NSIS</sup>,  
MEDICINAE CANDIDATI DIGNISSIMI,

qui vitae studiorumque suorum fata ita ipse nobiscum communicavit:



*In indagandis familiae nostrae originibus ad Tribuum militum Polonicum DE POSEWITZKY usque ascendere possumus, qui, tempore belli tricennalis, quum fidem catholicam amplecti nollet, ex Polonia expulsus est, et a quo ad nos usque deducta Genealogia accuratam factis et certam de gente nostra cognitionem nobis exhibet. Quo ex genere ego IOHANNES FRIDERICVS SIEGISMVND POSEWITZ, Dahmae, quae in hoc Circulo Saxoniae Electorali ciuitas est, die III. Maji, Anno MDCCLXVI. vitam hanc salutavi, natus patre, IOHANNE CHRISTIANO DAVIDE, Artis Pharmaceuticae Magistro, et Matre, IOHANNA CHRISTIANA ELISABETHA, e gente BAERENSPRUNGIA. Inmatura huius mors quemadmodum vehementissimum in me dolorem ac tristitiam excitavit; ita cura laudibus dignissima, matris alterius, IOHANNIS AVGVSTAE FRIDERICAE, ex familia WOHLFELDTIA, illum maxime mitigavit. Parentes carissimi, quos Deus O. M.*

b

per



per longissimam adhuc annorum seriem saluos atque incolumes seruare velit, me, omni, qua par est, doctrina instruendum curarunt, neque ullis, quos rerum, temporisque rationes exigebant, sumtibus pepererunt. Neque minus a me hic laudanda est singularis illa beneuolentia Viri mihi longe amicissimi et affinis M. SCHERNACKII, Pastoris, tunc temporis, prope Dahman, apud Zagelsdorfienses, iam vero, iuxta Lipsiam, apud Creimenses praeclare meriti, qui, initiis latinae et graecae linguae mihi tradendis, luculentissima sui in me amoris et amicitiae edidit specimina. Anno 1780. per Munificentiam Electoris Serenissimi factum est, ut Grimnam me conferrem in scholam Electorialem, in qua, per quinque annos et semestre spatium, disciplina ibi consueta usus sum. Anno 1786. die XII. Iunii, Excell. MEERHEIMIO t. t. Rectore Magnifico, in ciuitatem litterariam Wittebergensem receptus sum. Hic omnium primum pia mente memoriam renouabo maximae illius beneficentiae, per quam Pater Patriae Serenissimus me stipendio Electorali, in medicina tractanda, quousque Wittebergae fui, optime subleuatum uoluit. Porro gratissimo animo profiteor, me scholis philosophicis Excell. b. HILLERI, et S. V. REINHARDI, physicis et disputatorijs Excell. TITII, historicis Excellentiss. SCHRÖCKHII, et mathematicis Excell. EBERTI, non sine fructu interfuisse. Sic etiam botanicae excursionses, duce Viro Iuris Consultissimo CHLADENIO, institutae maxime mihi profuerunt, neque minus praedlectiones Exper. LANGGVTHII, in quibus historiam naturalem et Chirurgiam audiui. Pari modo multum debeo Excell. NVRNBERGERO, qui mihi anatomiam, physiologiam, botanicam, diaeticam et splancnologiam pathologico-therapeutica, diligentissime tradidit, — et

Excel-

Excellentissimo LEONHARDI, qui me pathologiam, materiam medicam,  
 artem formulas conscribendi, pharmaciam, et Chirurgiam egregie do-  
 cuit, eiusque Viri Doctissimi etiam scholas, partim examinatorias et theo-  
 reticas et practicas, partim disputatorias frequentavi. Denique ex fide-  
 lissima institutione Excell. BÖHMERI, Decani, hoc tempore, maxime spe-  
 stabilis, qui me in therapia generali, quam cum scientia de medicamen-  
 tis optimis quibusque et cognoscendis et recte adhibendis coniunxit, et  
 in doctrina Clinica erudiuit, maxima quoque in me redundavit utilitas.  
 Duobus annis praeteritis et semestri spatio in academiam Ienensem abii,  
 in qua, Pro-Rectore Magnifico, Illustr. GRIESBACHIO, die XXI. No-  
 vembr. anni 1788. in numerum civium academicorum relatus sum.  
 Ibi ab Ill. GRVNERO in medicina forensi et semiotice, ab Ill. LODERO  
 in Anatomia et arte obstetricia, ab Ill. STARCK in prudentia medico-  
 practica, atque exercitationibus clinicis, — quem etiam duce[m] ad ae-  
 grotorum lectos adeuntem secutus sum, — atque ab Exper. BATSCHE  
 in Chemia perquam bene institutus sum. Hos igitur Praeceptores,  
 quos habui, omnes, ob praestantissima benevolentiae et beneficiorum do-  
 cumenta, omni semper observantiae et pietatis cultu venerabor, atque  
 optimam eis et constantissimam sanitatem, ut, per longissimum adhuc  
 annorum spatium, utilissimam rei publicae litterariae operam nauare  
 possint, nunquam non apprecabor.

His ille imbutus litteris atque egregie instructus ab  
 Ordine nostro perhumaniter petiit, ut ad summos in Medici-  
 na honores consequendos ipsi viam patefaceremus. Postquam  
 ita-



itaque in Examine Prid. Calend. mensis Aprilis cum ipso instituto profectus haud vulgares ostenderat, nobis omnibus suffragantibus omnino dignus iudicatus est, cuius in Albo nostro nomen Candidatorum numero adscriberetur. Iamque in eo est, vt alterum eruditionis suae Specimen exhibeat. Conscripsit eo consilio libellum inauguralem *Semiologiam Aphtharum* pertractantem, super quo doctas cum doctissimis dissentientibus manus conferet, quod vel ipse certamen, et nemini ipsi suppetias ferente moderabitur, quandoquidem hoc iadultu Serenissimi Principis concessum est. Indictus est huic solemnitati dies VII. mensis Septembr. quam, vt praesentia sua perquam honorifica splendidiorem reddere velint RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLUSTRISSIMI, LIBERI BARONES PERILLVSTRES, ACADEMIAE PROCERES GRAVISSIMI, BONARVM LITTERARVM FAVTORES OMNES AC SINGVLI, nec non GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE COMMILITONES, omni, qua par est, obseruantia rogamus.

P. P. Dom. XIV. p. Fests. Trinit. A. R. S. MDCCLXXX.



VI 216

5. + 24. Juli 2:00

23 = ~~z~~

39 = t.



vd 18

TR. → 20


VD 17

04.200 n Bd,









ORDINIS MEDICORVM  
IN ACADEMIA VITEBERGENSI

H. T.

PRO - DECANVS

CHRISTIANVS FRIDERICVS  
NVERNBERGERVS

MEDICINAE DOCTOR, ANATOMIAE ET BOTANICES PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS, MVSEI ANATOMICI ET NATVRAE  
CVRIOSORVM INSPECTOR, SOCIETATIS OECONO-  
MICAE LIPSIENSIS SODALIS,

PANEGYRIN MEDICAM

D. VII. MENS. SEPTEMBR. CI<sup>o</sup>IOCCXC.

HABENDAM  
INDICIT

PROLVSIONE

DE

APOPLEXIA CAVSARVM MORBIFICARVM CRI-  
TERIA ILLUSTRANTE ET CONFIRMANTE.